

S 1784a

44165448



AD 
INSTITUTIONES
 IURIS IUSTINIANEAS
 Disputatio nona
 DE
 Exheredatione liberorum & he-
 redibus instituendis
 Quam
 Sub Praesidio
LAURENTII STEPHANI
 PYRICENSIS POMERANI

*Autoritate & consensu unanimi ICTORUM in Illustri &
celebri Electorali Academia Rorussorum,*

Pro virili propugnabit

GEORGIVS GEORGII Hovschildt
Leoburgensis Pomeranus

Ad diem 13. Ianuarii & seqq. huic exercitio
 destinat. horis & loco consuetis.

REGIOMONTI BORVSS.

Per Johannem Fabricium, Anno 1612.

Laudandâ prudentiâ, varioque
magnarum rerum usu, nec non
præclara eruditione præstan-
tissimo Dn. GREGORIO CÜTERO

Senatori Reipubl: Stol-
pensis eminentissimo,

PATRI,

Tum

Specatissimo & doctissimo
Dn. NICOLAO CÜTERO J. V.
Candidato & eiusdem Reipubl.
civi ex primis primario

FILIO

Dn. affini paternè, & Dn. Cognato
Amicè calendis,

IN

Summa & debit & observantia signum,

ET

Studiorum suorum testimonium
Exercitium hoc iuridicum dedicat
consecrat & offers



380144(654484)

Respondens

THEISIS I.

EXPLICatis testamento^rum speciebus, causa efficiente & solemnitatibus; nunc ulterius de institutione & exhere- datione agemus. Heredis institutio a) est certi successoris, cui post mortem hereditas deferatur b) in testamento per testatorem facta designatio, vel in primo gradu, quæ in specie institutio b) vel secundo & ulteriori d) quæ sub- stitutio e) nuncupatur.

a) quæ est quasi forma interna & caput, basis ; ac fundamen- tum totius testamenti dicitur ; quippe ex quâ vires testa- mentum capit §. 24. Inst. de leg. l. 10. ff. de jur Codicilli & sine ea nihil in testamento scriptum valeat l. 1. in fin. ff. de vulg. & pupill. subst. §. 2. Inst. de fideicom. hered. unde & olim ab hac veluti basi & capite inchoandum erat l. 1. ff. de hered. inst. Utq. testamentum caducum dicitur effici- si heres ante testamentum vel post testamentum ante testa- torem moriatur l. 1. §. & cum triplici §. in primo & §. pro secundo C. de cad. toll. Dauth. de testam. n. 272. vid. M. Steph. vol. 1. part. disp. 1. th. 14. b) confer defin. he- redit. sup. disp. th. 1. c) sic nomen institutionis & gene- ris est & speciei Durar. ad tit. de vulg. & pupill. subst. c.)

z. d) differunt non tantum institutio & substitutio ratione graduum, quod illa primo, haec ulteriori fiat d. l. 1. & passim sed & quod consequenter illa pure, etiam haec semper sub conditione fiat: Illa agnitione heredem statim dominum faciat: Hac non nisi instituto deficiente pr. Inst. de vulg. & pupill. substit. l. 1. ff. eod. l. 3. C. de hered. inst. vid. Hubn. diff. jur. 155. e) de substitutione in sequenti disputatione agemus.

II.

In specie dicta institutio vel est necessaria, vel non necessaria seu spontanea a): Illa liberi b) cuiuscunq; sexus ac gradus c) tam nati quam postumi d), tam sui quam emancipati e) à parente f) vel instituendi vel nominatim g) & ex justâ causâ h) exheredandi sunt i); vice versa parentes k) etiam à liberis in testamento l) præteriri non debent m)

a) illa sit ex iuris necessitate; haec defuncti voluntate. Illa est liberorum duntaxat & parentum & fratrum quodammodo; haec veterarum personarum Hubn. diff. jur. 156. b) iusto sc. matrimonio suscepti; Non naturales; Non item ex jure novo adoptivi; Nisi hi avo materno in adoptionem dati sunt s. sed haec quidem vers. circ. adoptivos Inst. de exhereditat. liberor. §. 2. Inst. de adopt. Alind (quia adoptio aequem natura suitatem tribuit l. s. C. de suis & legit. l. 8. ff. de inju-

injust. rupt) iure veteri observabatur s. adopivi Inst. de
exheredat. liberor. l. 6. ff. de bonor. poss. contr. tabb. l. 5.
s liberos ff. si tab. testam. nul. exst. c) sive filij, sive descen-
dentes ex filio mortuo s. hoc s. Inst. b. t. l. maximum
4. C. de liber. præt. Olim filia & natus ex filia præteriti te-
stamenrum non rumpabant in pr. & in fin. s. postumi Inst.
b. t. sed ius accrescendi illi ad certam portionem praestabatur
d. pr. Inst. b. t. quia extraneis institutis semessim, suis here-
dibus virilem auferabant Vlp. in fragm. itt. 22. Paul. lib.
3 rec. sent. t. 3. In eo etiam filius à filia & reliquis liberis
differebat, qno filius nominatim tantum; filia vero ceteri
descendentes inter ceteros his verbis; ceteri exheredes sun-
to; exheredari poterant de pr. Inst. b. t. & d. l. 4. d) de hoc
verbo eiusq; origine disputat Agellius lib. 10. c. 16. Cujat.
lib. 3. obs. c. 4. Vulgo à post & humus, quod is qui natus est
post patrem humatum. Sed eam rationem quidam refel-
lunt. Primo quod sine h. scribitur tam in Pand. Fl. quam
in alijs antiquiss. codicibus & monumentis uti etiam à græ-
cis, ut sèpè apud Plutarchum, quod & Siganus in Livium
notavit. Secundò, quod postumus idem quod ultimus, un-
de & postumare Teriull. in lib. de resur. opponit anticipa-
re & postumatum opponit principatui Quare & Vlpianus
postumos interdum vocat posteros l. 3. ff. de injust. rupt. &
irr. testam. Est igitur postumus propriè is qui postremò i.
e. post. mortem patris nascitur Giph. com. Inst. ad s. postu-
mus vid. M. Steph. vol. 1. part. 4. disp. 1. th. 11. ubi ele-
ganter tract. de postumis e) s. emancipatos 3. Inst. b. t. l.
1. ff. de bon. poss. cont. Etsi enim pro extraneis iure civili
numerantur d. s. 3. s. emancipati 9. Inst. de hered. que ab
inst. Praetor tamen ipsis honorum possessionem contra tabulas
attribuit d. 3. s. Rationem diversitatis affert Vult. in ex-
posit 16. posteriorum titulorum lib. 2. Inst. ad ultimas vo-
lun-

voluntatēs pertinentium fol. 195.. Hodiē non tantum ex
Prætorio iure; sed etiam civili inter suos vocantur emanci-
pati s: sed hæc s. Inst. b. t. Nov. 118. c. 1. Auth. in successi-
onem C. de suis & legitimis. quod tamen intelligimus quoad
institutionem & exheredationem d. s. s. Præteritio namq.
emancipati non statim testamentum patris nullum facit sed
beneficio. Prætoris potest rescindi per bon. poss. cont. tabb.
f) Præteritio h.ec à patre facta testamentum ab initio adeo
nullum efficit l. 7. & l. 30. ff. de lib. & post. ut querela opus
non sit illud impugnare s. tam a. 2. Inst. de inoff. testam.
Si tamen filius hereditate paterna volens abstinuerit, volun-
tas testatoris ex aequo & bono tuebitur inquit Ict. in l. 37. ff.
de injust. & rupt irrit. testam. idem obtinet si cum heredi-
bus paternis transegerit l. 45. s. 1. C. de inoff. testam. g) ex-
presso sc. nomine vel prænomine vel cognomine, dummo-
dò constet, quomodo de filio. testator senserit in pr. Inst. de
exhered. lib. l. nominatim 2. de lib. & post l. nominatim
34. de condit: & demonst. l. 36. C. de manum. testam. vel
etiam nullo nomine expresso, veluti si ita testator dicat. Fi-
lius heres esto: Si modo ei unus est filius d. l. nominatim.
Quia certa designatio expressionis vim habet l. ubi autem
75. s. illud ff. de V. O. h) Nov. 115. quas omnes memoria
causa Poëta sequentibus inclusit versiculis.
Accipe bis septem causas studiose suarum.

Participem sobalem cur neget alter opum.

Filius exheres esto (1) si verbere patrem

Læserit (2) aut verbis si violentus erit.

- 3) Criminis accuset si coram plebe parentem.
- 4) Misceat aut turpi dira venena manu.
- 5) Divitijs dederit si damnum grande paternis.
- 6) Nec curam sanā mente parentis agat.
- 7) Inter colluviem si gaudeat ire malorum.
- 8) Aut patrum uestito scandat amore zorium.

Si pro

9) Si pro patre fidem non interponas (10) eundem

A truce nec varijs liberet hoste modis.

11) Si veter auclorem testari sanguinis (12) adsit

Si levibus nimis, quos vel arena iuvat.

13) A sanctis veterum si denegaverit aris,

14) Filia si questum corpore spreta facit.

15) Exheredatio est liberorum ab hereditate & succeedendi
jure exclusio Bart. l. quidam cum filium de V. O. & quidem
illorum liberorum, qui alias necessariò ex L. heredes extitu-
ri essent. Non itaq. id nomen de quovis herede usurpamus,
quod inceptum dicit Paulus in l. 132. circ. fin. de V. O. vid.
Hotom. hic in pr. h. t. Habet autem vim suam post mortem
duntaxat testatoris Mynsing pr. h. t. n. 2. Exheredationi
affinis est abdicatio, que est inter vivos quedam ignomini-
osa missio, emancipatio, & è familia rejectio, abnegatio per
praconis vocem Gothofr. in l. 6. C. de patr. potest. Hodie pro-
pter patriæ potestatis diminutionem & sanguinis immuta-
bilitatem Iure Romano abdicatio hec reprobata est, ut
Impp. Diocleianus & Maximianus d. l. C. de patr. potest.
cessantur k) sunt tamen cause, ob quas liberi parentes exhe-
redare possunt que recensentur in d. Nov. 115. c. 4. quas
Poëta istidem versiculis inclusit

Oculo patent cause, nihil in viduata parentes

Que bona natorum juris habere sinunt.

1) Si capit is natum Pater accusaverit (2) ejus

Aut vita infidias clamue palamue struat.

3) Si vetuit cupidum secreta novissima mentis

Prodere (4) nec veritus sit temerare nurum.

5) Si pater & genetrix sibi fata scelestia minentur.

6) Fulcra nec ad nati clausa furentis eant.

7) Filius auxilio si non patris hostica liquit

Limina (8) si genitor numen inane colat.

b) de rebus sc. proprijs in quibus testamenti factio[n]em ha-
bent Col. disp. 9. th. 4. m) l. 15. ff. de inoff. testam. d. Nov.
115. c. 4.

Hinc queritur

1. Num sicut militum ita etiam matris & avi matrem
præteritio habeatur pro exheredatione?

Negam ex Novell. 115. c. 3. in pr. ibi enim constitutum quod
præteritio à matre vel avo materno facta, non videatur ja-
re facta: Si vero exheredatio facta & causa exheredatio-
nis adjecta quam heres scriptus non probat, testamentum
queret à inofficio rescindatur Mysing. in §. vlt. Inst. de ex-
heredat. lib n. 3. Donell. lib. 6. comm. cap. 11. fol. 22. Val-
Guil. Først p. 1. disp. 12. q. 22. Aliud tamen obtinet si liben-
tiam ante fuerint emancipati Vult. in §. 2. Inst. de hered.
lib. Donel. d. l. c. 12. Propter dict. Nov. Alexand. & ali-
ad l. 9. C. de testam. milit. & Angel. ad §. penult. Inst. h.
t. tradunt, quod militis etiam præteritio facit testamētum
nullum. A quibus cum Vigl. dissentimus quoniam speciale
militum ius non debet generali de alijs parentibus correctio-
ni subjacere Mysf. ad §. pen- n. 4.

2. An ex testamento in quo filius fam. præteritas est le-
gata debeantur?

Nos de jure novissimo statuimus, ea omnino deberi per text.
in Auth. ex causa & ibi Dd. comm. C. de lib. præt. & per
Nov. 115. c. aliud quog. 3. circ. fin. Bart. & communis
Dd. in l. filio 7. de injust. & rupt. testam. Bronch. cent. 3.
eva[il], ass. 29. Donell. d. c. 13. circ. fin. Først. d. disp. 12. q. 17.
vid. Gail. 2. obs. 113. n. 1.

3. Vtrum exhereditario hodiè tantum ob 14. causas in
Nov. 115. expressas, lex etiam graviores fieri possit?

Postea

Postremum multis placet & quidem argio. l. minime 3rd
de relios. & sumpt. funer. ubi parens filium proditorem
patriæ impunè occidere potest. E. multo magis hoc casu ex-
heredare. Deinde arridet propterea cum Iulianus inquit.
omnes articuli sigillatimi aut legib. aut SCris comprehendendi
non possunt. sed cum in aliqua causa sententia eorum ma-
nifesta non est. si qui iurisdictioni praest ad similia procedere.
atq. ita ipsi dicere debet l. non solum de ll. Nobis vero pla-
cat prius omnino d. Nov. 115. conveniens. Olim quidem
cause erunt incertæ. & posita in iudicio centumvirorum:
Expendebantur merita exheredatorum & conquerentium
l. 3. s. si mancipatus de bon. poss. cont. tabb. Cujat ad Nov.
18. unde illa varietas judiciorum de residendis testamen-
tis sublata est. ut patet ex his verbis. Necessarium esse per-
speximus eas nominatim presenti lege comprehendere. E-
quidem si adhuc extensio admittenda esset. quid novi in-
troduxisset Iustinianus? Nec movet quod Menoch. dicit
de arbitr. judic. quest. lib. 2. 267. n. 6. inter causas
ingratitudinis illam unam generalem enumerari: Si gra-
uem & inhostam injuriam parentibus ingesserit. Cer-
te si hec verba ita generaliter essent intelligenda. reli-
qua omnes sub una comprehendenderentur Gerh. dece 8. th. 7.
4. Num hodiè postumi exheredari possint?

Non putamus cum causa quedam. ut quis exheredatur. in-
gratitudinis requiratur d. Nov. 115. qualis in eum qui
nondū vitali aura fruatur nequaquam cadere potest. Hodiè igi-
tur postumus præteritus non rumpit testamentum. sed id di-
cit nullum per s. sed hæc s. Inst. h. t. & l. 4. C. de lib.
præt. Non obstat. l. 3. C. de post. hered. quia d. l. 3. lata
est ante d. l. 4. Vult. in expon. 16. posteriorum tit. lib. 2.
Inst. ad ult. volvut. pertin. fol 271. Diss. Alciat. lib. 4.
parad. c. 10. putans testamentum in quo postumus exhere-
datue

Latus, ipso jure valere, licet inofficioſe querela expugnari possit: filium vero sine caſa exheredatum dicere testamen- tum nullum per Auth. ex caſa C. de lib. prat.

5. An exheredatus honorum feudalium capax eſſe poſſit
Putamus cum M. Steph. cent. 2. q. 67. lit. B. ubi hanc ra-
tionem dicit, cum de feudiſ nulla ordinatio ſit licita per
e. vnic. de ſucess. feudi. in uſb. feudor. & ſim. tex. atq;
adeo nec exheredatio que ipſa allodialium potius eſt, quam
feudalium. Si tamen feuda ſunt eiusmodi de quibus ordina-
tio fieri poſteſt, aliud dicendum videtur Vult. 1. feud. g.
n. 96.
6. Nam h̄, qui citra conſenſum parentum fuorum nu-
ptias contraxerunt, exheredari poſſint?
Nos putamus filiam que minor 25. annis eſt, propterea ex-
heredari poſſe argt. d. Nov. 115. c. 3. §. ſi alijci 11. ubi di-
citur non debere id imputari ad ingratitudinem filia, quod
marito libero ſe conjuixerit ſine conſenſu parentum, ſi ma-
jor 25. annis eſt; ex quo non diſſiculter colligitur ſi major no-
eſt, ſed minor adhuc, tum debere id imputari Heig. in ſ.
ult. Inst. de exh. liber. n. 25. & in pr. Inst. de nupt. n. 29,
ubi n. 31. addit. Corol. V. Imp. ſimile conſtituiſſe in her-
editarijs ſuis provinciis. De jur. Sax. autem ſorta exiſti-
matione nec hereditate privantur Landrecht libr. 1. art.
5. in verb. Ein Ehereweib mag mit Unkenſcheit ihres
leibes ihre Weibliche Ehre Brencken/ ihre Recht
Verleuft ſie aber damit nicht/ noch ihre erbe & ibi
gloss fol. 26. col. 4. Filius ſi contrahit nuptias ſine volun-
tate patris cum turpi & in honesta perſona exheredari poſteſt
Fach. 3. controv. 44.
7. An pater filium ſuum ſpurium heredem poſſit in-
ſtituere?

Comm. per Auth. licet C. de nat. lib. & Nov. 87. c. 12.

& 15. negatur vid. Inl. Car. lib. 3. recepi. sentent. g. te.
stamentum q. 31. fol. 36. Nos cum Palæoto in tr. de not.
& spur. c. 40. cum distinctione respondebimus.

III.

Non necessaria seu spontanea in-
stitutio est præterliberos aliorum quo-
rumvis extraneorum, ^{a)} sive liberi sint
homines sive servi, vel proprii ^{b)} vel
alieni ^{c)} vel hereditarii ^{d)} imò sive noti
sive ignoti, hodiè etiam incertæ per-
sonæ.

^{a)} qui à lege prohibiti non inveniuntur, prohibiti autem in-
veniuntur 1. damnati in metallum, l. 3. ff. de his quæ pro-
non sc. hab. 2. Deportati l. 1. C. de hered. inst. 3. Da-
mnati ad mortem naturalem l. 17. ff. de pen. 4. Heretici
l. 4. S. 2. l. 5. C. de hered. & Man. 5. Princeps litus cau-
sa, cum obnoxium sit calunnia & inuidiosum principi ta-
les adire hereditates & terrore suo propinquos & credi-
tores abſterrere, ne jus suum persequi aūſint l. pen. C. h. t.
& tot. tit. C. ne liceat potentior. et si enim cuivis conces-
ſum sit, jus suum contra heredem Principem persequi Paul.
4. sent. tit. 5. tamen id non fit sine periculo 6. Peregrini
quoḡ h. e. illi qui jus Romana civitatis non habebant olim
inutiliter instituebantur; hodiè tamen cum alia sit rerum
facies, hæc prohibitio non consideratur nisi forte jure aliquo
Municipali civibus ex integro sit prohibitum ne peregrinos
cives instituant, quò hereditates in municipio permaneant
7. Baptismatis iteratores tot. tit. C. ne sanct. baptis. iteret.

¶. Apostata l. 4. C. de Apost. 9. Collegia illicita l. 8. C. de
hered. inst. 10 Rei criminis lase Majestatis l. quisquis C. ad
L. Jul. Majest 11. Reorum filij d. l. quisquis ect. b) qui sive
sum sive abg. libertate heredes instituti fuerint utrovis mo-
do & heredes necessarij, & liberi sunt in pr. h. t. l. pen. C.
de necess. servis Sed tamē servi quibus à Domimo libertas da-
ri nequit, nequeunt etiam heredes institui, ut servus cum
Domina sua adulterio inquinatus d. pr. in fin. Item cuius
Dominus non est solvendo pr. Inst. quib. ex caus. manumitt.
non licet l. 48. §. interdum ff. eod. l. 15. ff. qui & à quibus
manumiss. Foman. disp. 15. th. 4. lit. b. c) cum quibus te-
stamenti factio ex dominorum persona introducta est l. 31.
ff. de hered. inst. d) qui sc. continentur sub hereditate non-
dum adita §. 2. Inst. h. t. l. 31. ff. eod.

Hinc queritur

Num quis eum, quem nunquam vidit & ignorat heredem
instituere possit?

Putamus; Licet enim testator non noverit institutum here-
dem de facto & nonnulla alia accidentia, tamen institutio
facta valet dum ipsum indicis quibusdam certis notet &
designet §. ult. Inst. h. t. l. extrancorum C. de hered. inst.
hac enim incertitudo non est in persona heredis, sed circa e-
jus accidentia & circa faciem, honores, atatem & simili-
qua ipsam personam non faciunt incertam, §. ult. Inst. de he-
red. Inst. & ibi Heig. & Myns. n. 1. l. 11. C. eod. & ibi Bart.
Donell. lib. 6. c. 17. Vult. in §. & unum Inst. d. t. n. 2.

IV.

Neq; testator est ad certum nu-
merum a) adstrictus, sed arbitrio ejus
relin-

relinquitur quot instituere velit, modo voluntas eius non vagetur in incerto^b). Si plures instituti heredes, dividenda est hereditas^c). Quæ divisio vel à lege fit, vel à testatore. Lege hereditas dividitur in duodecim uncias^d). Distributio testatoris fieri potest in partes duodecim^e) vel in plures^f) vel pauciores^g).

a) d. §. & unum. 4. ubi Hætem. Inst. h. t. Ecclesiæ igitur & Civitates Collegia, municipia & Vniversitatis institui possunt l. 12. C. d. t. l. omnibus 26. l. 1. §. si autem 15. l. refusare 6. §. item si 4. §. ad SC. Trebell. Nec obstat quod plures sint ignoti & incerti in civitate, collegio &c. Certitudo autem in herede instituendo requiritur supr. disp. præc. passim. Corpus namq; est certum, etiam si plures ignoti in eo contineantur l. proponebantur 76. ff. de jud. l. 1. ff. quod cuiusq; Vnivers. nom. & hoc de pauperibus expresse dispositum est in c. 1. de testam. in 6. l. 26. C. de Episc. & Cleric. Nulla itaq; hic subest incertitudo, que instituionem alias vittat l. in tempus 62. §. quoties. l. ff. de hered. inst. b) §. & unum Inst. de hered. Inst. quod tamen non ita accipendum est, quasi infinitos vel incerti numeri heredes quis instituere posse, verum quod numerus eorum infinitus sit, h. e. à lege non definitus, sed testatori liberum relinquatur, quot instituere velit Gothofr. in not. ad d. §. 4. Matth. Steph. in Exegef. Inst. Imp. part. 22. th. 19. Coler.

disp.

disp. 9. th. 5. Diss. Accursius putans omnes homines insti-
tui posse, licet omnes hereditatem adire nequeant. c) § her-
editas s. b. t. nec nobis obstant quæ diximus disp. preceden-
th. 1. lit. b. quod hereditas sit res incorporea & nomen juris;
accipimus enim hic hereditatem μετονυμίως subjectum pro
adjuncto; pro rebus in hereditate existentibus, quæ sui natu-
rā divisionem recipiunt, ut patet ex tit. ff. si pars hered-
pet. Gadd. ad l. 24. n. 9. & 10. ff. de V. S. d) quarum
singula nomina, & nota in §. 5. ibid. not. Iul. Pac. Inst. h.t.
l. 50. §. hereditas ff. eod. Hac divisione testator quidem
abuti potest, revocatur tamen ea ad legis divisionem d. §. 5.
vers. non autem ubiq. ex ratione l. 7. ff. de R. I. ubi Giphan.

Quæ & ideo solennis dicitur ab Vlp. in l. 13. §. 1. ff. h.t.
huius divisionis in 12. partes apud Philosophos & Romanos
etiam magnam autoritatem & commoditatem fuisse, de-
monstrat ex Galeno Duar. 2. disp. 31. e) § hereditas s.
Inst. h. t. Immò nisi unius sit heres l. coheredi 41. in fin. ff.
de vulg. & pupill. substit. distributio testatoris semper fit
in duodecim uncias, quia si minus distribuit, potestate iuris
in hoc revolvitur. Si vero plus distribuit, rursus ad uniu-
ersis rationem distributio testatoris revocanda §. et si 8. in
fin. Inst. h. t. Atq. hoc adeo verum est, ut hereditas semper
in duodecim partes dividatur d. §. et si. nihilominus etiam
testator potest assis partium ad arbitrium suum nominibus
abuti. Propterea Vlpianus ait in d. l. interdum 13. §. pa-
terfam. 1. eod. Paterfamilias distribuere hereditatem in
tot partes potest, quot voluerit, sed solennis assis distributio
in duodecim uncias sit Hotom. ad d. §. 5. n. 2. f) plures
nimirum uncias faciendo: quo casu id quod supra assēm reli-
ctum est, tacite singulis decrescit pro rata i. e. pro ea parte,
qua quisq. heres est §. videamus 7. vers. ex diverso Inst. h.t.
& d. l. 13. §. si excederit Inst. h. t. huic an derogatum sit
ipse

ipse actus disputationis dabit. g) panticores sc. uncias faciendo, qui casus praecedenti contrarius est, & sicuti ibi pars suprà assēm relictā singulis decrescit; ita hīc pars vacans singulis adcrescit §. videamus in pr. Inst. b. t. Idq. propter regulam l. 7. ff. de R. I. Ne videlicet quis pro parte testatus, pro parte intestatus decesse videatur Nec faciat contra d. l. 7. l. circa 34. & l. nam et si 15. in fin. ff. de inoff. testam. ubi dicitur posse quem testatum partim, partim intestatum dedere.

Videtur namq. ibi pro parte intestatus ex posse factō, dum testamentum pro pare querela inofficiō op̄pugnatū est d. l. 24. in fin. & d. l. nam et si 15. in fin. alia id absurdū erit d. l. ius nostrum 7. ff. de R. I. nisi in milite l. si miles 6. & l. si duobus 27. is, de testam. milit. Gothfr. ad d. l. 15. in not lit. i. inde ius accrescendi introductū ne sc. quis pro parte intestatus decedat Mynsing. ad §. hereditas n. 11. Denig. est & alia hereditatis divisio, cum duo vel plures fratres officio iudicis, vel per sortes hereditatem quæ sitam dividunt Dé jur. v. Sax. cauzun Mann zwœn Minn ein erb nehmen sollen/ da soll der Elteste theilen Vnd der Jüngste kiesen art. 39. lib. 3. Landrecht lib. 2. part. 1. diff. 42. pag. 321. congruit const. 15 part. 1.

V.

Fit autem institutio heredis recte vel pure, ^{a)} vel sub conditione, ^{b)} qua existente demum aditur vel repudiaatur hereditas, nisi sit impossibilis, quæ pro non scripta habetur ^{c)}). Ad certum tempus vero vel ex certo tempore fieri institutio non potest ^{d)}. a) pu-

¶ pure sit, testator simpliciter dicit, Ille mihi heres esto
quod quin fieri possit nullum est dubium, naturaeq; testamen-
torum est convenientissimum. Ad hanc puram heredis insti-
tutionem pertinet regula Catoniana, qua dicitur heredis in-
stitutionem, quæ in inutilis futura esset, si testator tēpore tes-
tamenti facti mortuus fuisset, non valere, quandocumq; eti-
am testator postea decesserit, puta si tempore testamenti facti
heres institutus, hereditatis capax non fuisset, testamentum
non convalescit ex eo, quod tempore mortis testatoris capax
esse possit l. i. ff. de R. Cat. circa heredis enim extranei in-
stitutionem tria tempora sunt consideranda, unum est testa-
menti conditi, ut nimirum institutus eo tempore sit heredi-
tatis capax; alterum est tempus mortis testatoris, & quod
virumq; est intermedium b) h.ec institutio vocatur mixta ra-
tione nimirum dici adiecti & conditionis Vult. ad S. 3. Inst.
h.t. Nec facit quipiam quod testator heredem instituere con-
ditione adiecta non possit, quia partim testatus propter con-
ditum testamentum, partim intestatus propter conditionem
pendentem decederet cont. S. hereditas s. Inst. h. t. Non
enim censetur pendente conditione intestatus, sed tota res
hereditatis suspensa, ita ut existente conditione ab initio sta-
tim testatus decessisse videatur: ea vero deficiente, ab initio
statim intestatus decessisse iudicetur l. heres s 4. ff. de acquir.
hered. l. omnia 193. ff. de R. I. c) l. mulier 20. ff. de cond.
& dem. l ab omnibus 140. ff. de leg. 1 §. impossibilis 10. inst.
de hered. inst. Non urget l. impossibilis 7. ff. de V. O. que
ostendit impossibilem conditionem cum faciendo consistit, stipu-
lationibus obstante; discernenda enim sunt ultime voluntati
est stipulationibus. Sunt qui rationem diuersitatis eliciunt
ex personis eorum, qui ex contractu vel testamento aliquid
petunt, aut à quibus petitur; Hanc rationem reiijcunt multi
quia nihil facit voluntas heredis aut legatarij ad obtinen-
dam

dam hereditatem aut legatum, si testator eos consequi voluit, pendet res non ex voluntate eorum, sed iudicio testatoris Cujat. in d. l. 7. Arumæus exercit. 8. th. 4. aliter haec ratione respondet; Propterea in contractibus impossibilis conditione stipulat. non destruit, quia inter duos res geritur, duo considerantur, si impossibilem conditionem stipulantium aiquis protulerit, cur non stipulator rem apertius proferri curavit? Scit utiq. impossibilem esse conditionem corriget utiq. si non ludificari, si non contrahere velle videtur, cum l. contractui apertius dicere potuisse: Et hanc rationem esse ipsius Icti in l. 31. de O. & A. ibidem attestatur. Hac autem in testamentis non ita dici possunt, quia nihil est quod hereditati scripto imputari possit, ut in contractibus stipulatori, cum heres testamentum non faciat, eog. ignorantie impossibilis conditiones apponantur l. 1. ff. de condit. inst. l. 3. ff. de condit. & demonst. vid. Arumæd. l.d) s. heres & purè Inst. b.t idq. propter regulam 7. ff. de R. I. Et stricto quidem iure talis institutio nullius debebat esse momenti Hotom d. s. heres & purè n. 2. Favore tamen ultimarum voluntatum sustinetur; & dies adiectus pro supervaneo i. e. q. adiectus non esset, habetur d. s. heres in fin. & l. 3. 4. ff. cod. tit. Bronch. cent 3. ass. 31.

Hinc queritur

- I. Num conditione pendente is, qui sub ea institutus est, hereditatem adire possit vel repudiare?
Nos putamus negativam esse veriorem l. 13. in fin. pr. de acq. vel omitt. heredit. nec potest hereditas adiri vel etiam repudiari antequam fuerit delata l. 1 s. 7. de success. edict. nemmo enim repudiare potest illud quod si velit habere non potest l. 174. s. ult. de R. I. Delatanam hereditatem illam intelligimus, quam adeundo quis potest consequi l. 151. de V. S. & quod sub conditione debetur, neg. revera debitum est, neg.

*In ea causa, ut statim aequiri possit argt. l. 213. d. t. Gomez
z. var. resol.*

2. Num etiam si conditio sub qua institutio facta est sit
turpis, ut si stuprum commiseris, aut homicidium &c.
aliquid hoc casu actum dicatur?

*Negam. Est namque hanc conditio impossibilis, cum quae facta
ledant pietatem, existimationem, verecundiam nostram vel
quae contra bonos mores sunt, nec facere nos posse creden-
dum est ut testatur Papin. in l. 15. de condit. inst. Duar. ad
d. t. de cond. inst. c. 4. p. 413. col. 2. & c. 5. in pr.*

3. An institutio valeat, si dies adiiciatur incertus?

*Affirm. cum Fomanno disp. 15 th. 10. lit. e. l. 26. ff. h. t.
l. 1. l. 75. ff. de condit. & demonst. l. 36. §. sed & 4. ff. de
leg. 1. Erit etiam pro condizione tam in contractibus l. 56.
ubi notat Gothfr. ff. de cond. indeb. quam in ultimis volunta-
tibus l. 1. & l. 75. ff. de cond. & demonst. l. 30. §. 4. in fin.
de legat. 1.*

VII.

Possibilis conditio vel est simplex
vel mixta a) Simplex vel est potestati-
va vel causalis b).

a) l. vn. §. sin. autem C. de ead. toll. b) d. §. fin. autem. Sub
quavis harum recte instituit testator extraneum, filium fam.
vero non item, qui negat sub causali negat mixta condicione in-
stitui potest, quod & in filia obtinet vid. sup. th. 2. lit. C.
Adiicitur etiam conditio institutioni interdum una inter-
dum plures l. si heredi. ff. de cond. inst. & plures, vel conjun-
ctim vel disiunct. Disiunctarum unam impleri sufficit §. si
plures penult. Inst. h. t. Non obstat quod cuiilibet conditioni
sit parendum l. s. in fin. Cuiilibet namque distributive non col-
lecti-

leclivè intelligendum. Nec facit quod omni conditionis adjectæ vis hæc est, ut nisi extiterit, nihil debeatur, exinde unam disjunctim impleri non sufficit, vel plures frustrâ adjectæ. Pluribus enim conditionibus comprehensis omnes obligationi adiiciuntur, si conjunctim comprehensæ, si vero disjunctim adjectæ fuerint una duntaxat adiicitur cum effectu, non plures. Donec. ad l. 53. n. 2. & seq. ff. de V. O.

Corollarij loco.

Si coheredes, puta fratres ex communi hereditate à patre relictâ negotiaciones cum alijs exerceant, infelici autem successu, queritur; Num sorores possint privari legitimâ. ita ut socij possint rem immobilem, ut domum quandam, que tam ad sorores quam fratres spectat, omnino vindicare, ut consequantur id, quod societatis ergo alteri (puta fratri) tradididerunt? Nos concludimus id ipsum si attentent, contra omnia jura fieri, quippe cum domus illa ratione legitime jure naturali sororibus sit ferè propria; nec illud nos turbat, si prætendatur colore quodam justæ vendicationis matrem consenserit aut confirmisse illam societatem; legitimam enim à patre reliam mater liberis minimè potest adimere propter juris naturalis immutabilitatem.

AD Doctissimum Dn. Respondentem

SCHEDIASMA

scribebat

N um sobolem possint exheredare parentes.

Seu genita hæc fuerit, post huma seu fuerit?

Tu STEPHANIG. Tuus formamq. modumq. docetis.

Iuris adoptivi quid teneantve alijs;

Ille preit, sequeris; præeunt hunc IVRA, virorum

Doctorum scripsit quæ Induperator ope:

Sic perge: & alios poteris mox ipse praire,

Divina Themidos Docte Dynasta, brevi.

Namq. tui assiduos studij quod cerno labores,

Inde tibi fructus Crescere cerno pares.

Qui novit IVVENIS studiorum ferre LABORES

PRAEMIA portabit digna labore SENEX.

M. Iohannes Grundt SS. Th. Stu.



Nitidissimi viri Iuvenis Dn. Georgij
doctissimis responseibus

appludo


Heredi reliquas distribuens opes
GEORGI, validā ac palmiferā manus.
Vincis, nec leviter jus geminum teris
Pallentis sceleris syrtem inamabilem.
Gaudē juridicis pulveribus niger!
Aspergi haut poteras nobilioribus.
Gaudē Castalijs pulveribus niger.
Majora haut poteras præmia consequi.

Samuel Fuchsins Cusi. Pomeranus I. V.
& Philologiæ Candidatus

Ad Respondentem Politiss. amicum
Chariss.


Gratulor en studium tibi rite polite Georgi,
Dum contemplaris, docto sub præside, juris
Præcepta atq; fori; modò tu perducito cursum:
Inde politus eris, veniet quoq; fama perennis.

Johannes Bieinagell V Volgast. Pomm.
SS. Theol. Cand. D. R. S. E.



380/44/65448(4)

X13<4465448400015







+ colorchecker CLASSIC

x-rite



1 mm

